



28





168h.

1. Bartheldt, Antonius : De jurisdictione canonicarum  
ejusdem fundamentis. Von dem Ursprung, Stiftung und  
Grundgesetzen der Gerichtsbarkeit des Kayserlichen Kammer-  
gerichts.
- 2<sup>a</sup> <sup>16. 10.</sup> Brückner, Georgius Mauricius : De particulari territorii  
subinsubato. Von der Äpfel verlebten Landes Herr-  
schafft 3 Bunde
- 3<sup>a</sup> <sup>16.</sup> Brückner, Georgius Mauricius : De hierarchia d.  
templorum custodibus. Von Kurfürsten 3 Bunde.
4. Meier, Johann Mauricius : De in integram restitutionibus
5. Schröter, Johann Mauricius : De singulari seu jure
- 6<sup>a</sup> <sup>16.</sup> Schuberth, Christophorus Antonius : De accise. 2 Bunde
7. Steuber, Hermann, De : Tabulam vestrii  
placito prudentium excausari submittit

1687.

- 1<sup>a</sup> Bruckner, Georgus Henricus: Adversus contrarios  
curiosa juris feudalis 2 Paupl
2. Bruckner, Georgus Henricus: Testes debiles et  
inhibiles . . . . . publicae curiae submitto
3. Tuncker, Johannes Henricus: De praescriptione  
universitate
4. Hortelcher, Conrad: De iuribus pupillarum relictus.
5. Meier, Joh. Henr: De jure mulierum singulari
6. Schöcher, Fridrich Wilhelmus: De repono miserabili

1688

1. Brucknerus, Georgus Henricus: De incompetibilitate  
jurium, dignitatum et beneficiorum. Ed. 1759
- 1<sup>a</sup> Bruckner, Georgus Henricus: Curiosa juris  
publici

2. Meier, Joh. Heinrich : De pactis tacitis
3. Besimey, Theodor : De feudis.
4. Welz, Christianus Hermann : De juribus particularibus  
in his statutis et consuetudinibus.

1689.

~~1689~~ Breitkopf, Jacobus : Programma . . .  
Dequisitionibus theologis in studium  
suae animarum conversionis publice institutio praesentata.

1689  
Brockhaus, Georgius Hermann : De jure ecclesiasticum  
Vim Ruckpells-Recht. 2 Bände

3. Meppel, Vicker. Wilhelm : De fidei communis  
generatione, et in specie de existentia fidei  
communis tacite





1656,4

DISSERTATIO JURIDICA  
DE  
**IN INTEGRUM  
RESTITUTIONIBUS,**

Quam  
Sub  
DIVINO AUXILIO  
AUTHORITATE & CONSENSU  
MAGNIFICI ELECTORUM ORDINIS  
IN  
INCLYTA UNIVERSITATE HIERANA

PRÆSIDE  
**DN. JOHANN. HENR. Meier /**  
J. U. D. ELECTORAL. JUDICII & FACULT. JURID.  
ASSESS. PROFESS. PUBL. & PRÆFECT. ELECT.  
ERFURT. CONSULENT.

IN  
AUDITORIO COELICO  
*Eruditorum ventilationi  
submitte.*

**JOANNES GODOFRIDUS  
Bassenbruch /**  
AUT. & RESP.

*Die 18. (28.) Augusti Anno M. DC. LXXXVI.*

---

ERFORDIÆ,  
TYPIS JOHANN-HENRICI GROSCHL

25.







CAPUT I.  
DE  
IN INTEGRUM RESTITUTIONIBUS  
in genere & in specie.

**M**ateria hæc quanta sit difficultatis simul ac utilitatis, prolixè præfari opus non est, hujus enim usus quotidianâ praxi abundè demonstratur, affatimque ab ipso JurisConsulto in *l. 1. ff. hoc tit.* recommendatur; ad rem igitur ipsam properantes statim definimus omisâ notoriâ vocis etymologiâ Restitutionem in integrum, nimirum illam, non quæ gratiæ dicitur & describitur *l. 1. Cod. de Sentent. passis.* sed justitiæ *arg. l. 1. §. ult. ff. de postum. & quidem extraordinariam seu Prætoriam, non item ordinariam, aut Civilem, cujus exempla continentur l. 31. ff. de Jurejur. l. 33. ff. de re jud. l. 3. Cod. ex quibus causis maj. in integr. & l. 2. Cod. de rescindenda vendit: quòd sit causæ læsæ vel amissæ à judice competente ex justa causa facta redintegratio, vel ut Wesembec. in Paratit. N. 5. hoc tit. remedium extraordinarium, quò Prætor deceptos aut læsos in eum statum reponit ac reducit, in quo ante læsionem aut deceptionem erant.*

(I.) Causa Efficiens hujus Restitutionis est Prætor, non etiam arbiter, compromissarius, aut magistratus municipalis, *l. fin. Cod. ubi & apud quem restitut. in integr. agitanda sit, l. 26. ad municipal. junctâ Nov. 60. C. 2. in princ. & fin. Bachov. Comm. ad p. 1. ff. tit. de restit. in integr. rubr: ubi & coram quo magistrat. caus. restit. in integr. N. 2.*

(II.) Materialis ipsa actio vel res amissæ, seu damnum grave, nam actiones rescissoriæ, quæ Juri Civili adversantur, ob rem exigui momenti aut damnum leve dandæ non sunt, *l. 3. & 4. ff. hoc tit. l. 9. §. ult. ff. de dolo mal.*

(III.) Formalis, ut intra statutum tempus à Lege, implorato judicis officio, cum causæ legitimâ ac plenariâ cognitione, *d. l. 9. §. ult. & l. 10. ff. de dolo mal. & læsionis probatione, l. 5. Cod. de in integrum restit. min. citatisque partibus expediatur, l. 9. §. 4. ff. de Jurejurand.*

Tempus verò ordinarium hodiè est quadriennium continuum surrogatum anno utili, *l. 1. Cod. de restit. milit. l. fin. Cod. de tempore in integr. restit.* quod minoribus currit, ex quo facti sunt majores, majoribus verò ex die impedimenti sublato, *d. l. fin. l. ult. quibus ex causis major. l. 8. Cod. de postlimin. revers.* quod tamen non simpliciter admitendum, sed cum quis per ipsius temporis lapsum ac decursum læsus sit, rectè cum *Bachov. Comment. ad h. t. rurbr. de tempor. petend. restit. num. 2.* restringimus, si tantum temporis non superfuit læso, ante obveniens impedimentum, tunc enim admodum residui conceditur, ex. gr. ante absentiam defuit tantum annus implendæ usucapioni, quo casu reversus ad unum annum, non integrum quadriennium, ratione actionis rescissoriæ contra possessorem movendæ, restituitur; ne restitutio plus reponat, quàm absentia abstulerit aut nocuerit, nam sufficit propter absentiam conditionem hujus haut fieri deteriore, nec melior fieri debet, cum, si domi mansisset, possessor decursu annali absolvisset usucapionem cum effectu irrevocabilis dominii, *vid. l. 26. §. 8. ff. ex quibus causis major.* Quadriennium illud continuum excludit actionem de dolo malo, quæ biennio continuo tanquam famosa præcisè inclusa est, *l. ult. Cod. de dolo mal.* quod non à die scientiæ, sed admissi doli computandum, etiam absenti dolum passo currens, *d. l. ult.* non obstante axiomate vulgari: *Non valenti agere prescriptio non currit*, quod de impedimento juris tantum admittitur, *l. 1. §. 2. Cod. de anal. except.* Secus comparatum est cum ejus actione subsidiaria in factum, in qua cum cessat ignominia acerbitas, in perpetuum adpersequendum id, quod interest, utiliter competit, *l. 28. §. 29. ff. de dolo mal.* nullo enim tempore ex delicto cum alterius jactura quæmquam locupletari oportet, intra prædictum spatium biennii & quadriennii causa agitari & finire debet, *l. ult. in princ. §. fin. Cod. de temp. in integr. restit. §. d. l. ult. Cod. de dolo mal.* remotâ distinctione inter iudicium rescindens & rescissorium, ita ut regula hîc, quæ ex ratione juris antiqui circa utilem annum obtinuit, hodiè post determinationem biennii & quadriennii cessat, nimirum per litis contestationem non ulterius perpetuari has actiones temporales, *l. 139. de R. J.*

(II.) Finalis Causa apparet ex eo, ut lapsis atate, errore, aut alia justa de causa subveniatur, perinde ac si lapsi aut læsi non fuissent, quod ex sequentibus speciebus clariùs patebit.

GA

DE METU.

(I.) PRIMA hujus materiae species est Metus, quò quis quid facere aut  
omittere cogitur, quod absque eo non fecisset; & quia ex duo-  
bus malis eligendo minus consentit. Hinc Jure Civili validè contra-  
hit, & contractus ita initus ipsò jure valet, *l. 5. Cod. hoc tit. l. 21. §.*  
*pen. ff. eod.* De hoc nec quidquam contra, antiquis LL. cautum, qua-  
propter maximè hoc in casu providentià Pratoris opus erat, qui sic e-  
dicit, quod metùs causà gestum erit, ratum non habebo, nimirum  
propter necessitatem impositam voluntati contrariam, *l. 1. ff. b. t.* Hoc  
edictum Bartolus commendaturus inquit in *l. 27. Cod. de appellatione.*  
Spiritu S. in ore Pratoris posuisse & vocem Dei, ab homine prolatam.

(II.) Non verò omnis sufficiens est ad impetrandam Restitutio-  
nem, sed ille demùm, qui aliquam vim ac violentiam annexam habet,  
*l. 5. ff. b. t.* vel qui est majoris rei impetus & repelli non potest, *l. 2. ff.*  
*b. t.* ut cum alicui per inevitabilem violentiam pecunia extorquetur,  
aut si cui mortis, stupri, carceris, (nempe privatorum, qualem habere  
prohibitum est *tot. tit. Cod. de carc. privat.*) aliudve periculum im-  
mineat: *vid. l. 7. §. 1. l. 8. princ. §. 1. l. 22. ff. b. t.* Ille verò metus,  
quem magistratus jure infert, *l. 3. §. 1. ff. b. t.* item reverentialis, *arg.*  
*l. 22. de ritu nupt. l. 26. §. 1. de pignor.* nisi minæ conjunctæ vel læsio  
magna subsit, *Covarr. de matr. pr. c. 3. §. 6. N. 4.* vel talis, qui habet  
violentiam adjunctam, potentia quoque dignitatisve timor, nempe  
offendendi magnum quenquam dominum, *l. 6. Cod. de his qua vi me-*  
*tusve causà gesta sunt.* aut accusationis, *l. 10. Cod. eod.* aut infamiae,  
aut minarum, *l. 9. d. t. Cod. nisi capitales sint & ab eo, qui exequi so-*  
*let, effusa, l. 7. Cod. eod.* Restitutionem non meretur. Multò ergò mi-  
nùs preces potentioris eam causabunt, quamvis vulgò dicatur, preces  
domini esse præcepta & blanditias vim continere minarum, juxta pro-  
verbium: *Rogando cogit, qui rogat potentior,* quia hæc in metu, quò  
atrocitatem requirit, non considerantur, factum enim ubi requiritur,  
sola verba non sufficiunt. Sit igitur metus talis, qui in hominem con-  
stantissimum cadere potest, *l. 6. b. t. l. 3. ff. ex quibus caus. maj.* cujus  
arbitrium judici ratione sexus aliarumque circumstantiarum relinqui-  
tur, *d. l. 3. in fine.* Questio hinc oritur, si mulier aut alius pusillani-

mus, metu levi fuisset coactus quid facere aut donare, an esset restituendus? Et dico, quod sic, non quidem ob quemvis vanum & metum absolute, sed in ordine ad fragilitatem & conditionem læsi atque rem non satis minimam, *l. 4. ff. de integr. restit.* ex ratione edicti, mediante utili actione, quæ æquè ac directa ex edicto competit, *arg. l. 22. ff. de pignor. l. 5. §. 9. ff. de constitut. pecun. & officio judicis nobili.*

(III.) Actio ex hoc edicto proveniens, est absque mentione ullius personæ in rem concepta, prout generaliter à Prætorè, quidquid metu gestum, rescinditur, *l. 1. ff. b. t.* ita, ut quoque ratione effectus, quod rem sequatur, contra quemvis possessorem, licet crimine careat, institui possit, *l. 9. §. 1. & 8. ff. b. t.* Qui verò metum intulit & rem obtinuit, licet amplius non possideat, rectè tamen ratione delicti hæc actione convenire potest, non etiam possessionis, quia hanc actor probare tenetur.

(IV.) Si plures metum intulerint, omnes in solidum tenentur, solvente tamen uno ante sententiam simplum, ex sententia quadruplum, liberantur metus causa actione, *l. 14. §. ult. b. t.* quadruplatur etiam, quanti ea res erit cum fructibus & omni causa, *d. l. 14. §. 7.* observatâ tamen distinctione inter bonæ fidei & malæ fidei possessorem, ut hic, sive metum intulerit, sive conscius fuerit *arg. l. 14. §. 5. ff. b. t.* omnes, etiam percipiendos restituere teneatur *l. 12. ff. b. t.* ille verò extantes, *arg. l. 18. b. t. Oldendorp. class. 6. act. 10. N. 6.* transitque actio ex hoc edicto ad heredes, *d. l. 14. §. 2. in fin.* & in heredes, quantum ad eos pervenit, quod enim turpiter & scelere quæsitum est, ad heredis compendium pertinere non debet, *l. 16. §. 2. ff. b. t.*

(V.) Est & arbitraria, non eo sensu, quò Prætor aliàs, quid præstandum sit actori, ex æquo & bono determinat, & sic definitive pronunciat, quo modo actio quod certo loco *§. 31. Institut. de Act.*, arbitraria dicitur, sed procedit hîc, prout æquum videtur judici, arbitrium seu interlocutio, quâ imperatur reo restitutio, cui si paruerit, absolvitur; sin minus, condemnatur ob contumaciam in quadruplum, licet sit bonæ fidei possessor, *d. l. 14. §. 3. & 4. ff. b. tit.* obtinet autem illa condemnatio quadrupli, cui & simplum inest intra annum, quo Prætoris officium finitur, *d. l. 14. §. 1. b. tit. l. 35. de obligat. & act.* post annum, à quo metus illatus est, tantummodò in simplum, sed perpetuo,

tuò, l. 4. Cod. h. t. Peretz. ad eundem tit. num. 12. hodiè quadrupla-  
tiones in usu ampliùs non sunt, Mornac. in d. l. 14. Gudel. de Jur. No-  
viss. lib. 3. c. 3.

53(7.)80  
CAPVT III.  
DE DOLO MALO.

(I.) **S**ecunda in ordine Restitutionis species est Dolus, qui aliàs divi-  
ditur in bonum, ille est solertia intuendi suis rebus alienisve, l.  
1. §. 2. ff. hoc tit. Grot. de Jure Belli & Pacis lib. 3. cap. 1. vel quâ quid  
adversus hostem, latronemve machinamur, d. l. 1. §. 3. de dolo malo:  
qui non tantùm licitus, sed & desuper laudabilis; & malum, fermè  
perpetuum doli epitheton, qui describitur calliditas aut fallacia ad de-  
cipiendum alterum adhibita, l. 1. §. 2. ff. h. t. Dividitur ulterius in  
præsumptum, qui provenit ex culpa lata, in contractibus adhibita, l.  
23. ff. de R. J. l. 226. de V. S. probaturque indiciis probabilibus, Ma-  
scard. p. 1. concl. 31. Menoch. §. præsumpt. 3. quod igitur lex pro dolo  
habet, non imèritò dicitur dolus præsumptus, l. 29. in fin. Cod. de testam.  
& opponitur vero, qui nascitur ex malo animo decipientis, unde perso-  
nalis vocatur, & probatur manifestis argumentis, de quo h. tit. agitur:  
item alius est dans causam contractui, l. 7. princ. h. t. verb: nullam esse  
venditionem, si in hoc ipso, ut venderet, circumscriptus sit. quò quis  
fraudulenter ad contrahendum inductus, qui absque tali dolosa per-  
suasione non contraxisset: Alius incidens, cum quis quidem proprio  
motu contraxit, sed circumventus fuit in pretio emptionis, l. 11. §. 1.  
& 5. ff. de action. empr. aut quando res ipsa in se dolum habet, l. 36. de  
v. oblig. vers: idem est & si. qui dicitur realis, seu ex ipsa re, scil. ex i-  
gnorantia rei æstimatæ proveniens. Quis hujus distinctionis sit effe-  
ctus, mox apparebit.

(II.) Dolus contractui bonæ fidei dans causam reddit eum ipsò  
jure nullum, d. l. & eleganter 7. princ. ff. h. t. quia excludit qualita-  
tem contractûs substantialem, juxta quam tale negotium determina-  
tur, licet quidam in contrarium moveantur per l. 5. Cod. de rescindend.  
vendit: ubi dicitur, quod emptio rescindi debeat, quasi contractus de  
jure esset validus, quod tamen quoad declarationem effectus accipi de-  
bet, l. 16. §. penult. ff. de min. in qua habetur naturaliter licere se  
contractibus circumvenire, quod ad pretii determinationem admitti-

tus,

§. 3. 2.

tur, minimè verò ad excludendum consensum, qui à parte decepti, deficiente ejus scientiâ, deficit. Quia huic dolus adversarii incognitus est, ut eatenus in errore versetur, & aliter consentire non intelligatur, nisi sub conditione, rebus scilicet ita comparatis, adeò ut, licet inter partes conventum fuisset, ne dolus præstaretur, nequidem hæc pactio valeret, *l. 23. de Reg. Jur.* & hæc ex parte decepti dicta volo: An etiam idem ex parte decipientis sit statuendum, si nimirum deceptus servare contractum vellet, ut quoque eum servare deberet? & respondetur, quod sic per *d. l. 5. Cod. de rescind. vendit.* neque hoc ob poenam, sed ob contractus perfectionem, qui à decipiente libero, & absoluto consensu est celebratus, & dolo passivè caret. Sin verò à tertio fuerit causatus, valet contractus, *l. 2. ff. de Proxenet.* quia inter contrahentes neuter dolo quid commisit, & dabitur actio de dolo, contra illum, *d. l. 2. de Proxenet.* si hic solvendo non sit, inæqualitas contractus ad æqualitatem reducenda est, *Roch. ad hunc tit. N. 11.*

(III.) Alter dolus in contractum incidens, non vitiat illum ob consensum, qui ab initio absque illius incitamento, & persuasione adfuit, sed subvenitur decepto actione ad id, quod interest, si venditor sciverit rem esse vitiosam; sin verò nesciverit, tenebitur actione quanti minoris, *l. Julianus 13. princ. §. 1. ff. de action. empti.*

(IV.) Contractus stricti juris, neque dolus dans causam contractui, neque incidens, reddit contractum ipso jure nullum, *l. 36. de verb. oblig.* nam de juris subtilitate dolus tanquam causa ad contrahendum movens extra contractum relinquitur, neque ejus terminos ingreditur, unde non attenditur. Agens igitur per exceptionem doli mali, re integrâ submoveretur, *d. l. 36. §. 1. 5. Cod. de inutil. stipulat.* Et ratio disparitatis hæc est, quod bona fides in bonæ fidei negotiis, sit de essentia, & exuberantior esse debeat, quàm in stricti juris; Si igitur res integra amplius non est, de his prætor ait: quæ dolo malo facta esse dicuntur & de his alia actio non erit, judicium dabo. Unde colligitur actionem hanc subsidiariam nullum locum sibi vindicare in casu, ubi locus est ordinariæ, ob ignominia notam, quæ reo inuritur, *l. 1. §. 4. ff. h. t.* Actio hæc hinc temerè concedenda non est, concurrat tamen cum persecutione criminali, & actione in factum prætoriam, quæ subsidiaria subsidiariorum rectè vocatur, quâ uti licet, si honestius cum adversario agere velimus; *l. 11. §. 1. ff. h. t.*

(P.)



(V.) Competit hæc actio omnibus læsis ex dolo, *l. 7. princ. b. tit.* contra eos, qui dolum commiserunt, & ad quos ex dolo quid pervenit, hæc tamen limitatione, ut in casu posteriori non in plus, quam ad eos pervenit, *l. 15. princ. & §. 2. ff. eod.* nam sic datur sub qualitate actionis rei persecutoria calculi magis, quam maleficii ratione, & eatenus non famosa aut temporalis, sed perpetua est, *l. 29. h. tit.* Ab illa regula excipiuntur: (1.) Liberi, si adversus parentes agant, ob ignominia notam, *d. l. 11. §. 1. ff. eod.* (2.) Humiles, si contra illustres seu eos, qui dignitate excellunt, *d. §. 1. l. 11.* (3.) Luxuriosi, si adversus hominem vitæ emendatoris, *d. §. 1.* Sed illis actio danda est in factum verbis temperanda, ita ut bonæ fidei mentio fiat & nudum factum enarretur, *d. §. 1. in fin.*

(VI.) Quid in hac actione probandum venit, facile dignosci potest ex eo, quod detur læso adversus lædentem, hinc nimirum à parte actoris læsio, à parte rei dolus malus, ubi dispiciendum Prætori, anne alia actio competere possit, quâ actor, quod sibi abest, consequi possit, *l. 1. §. 4. ff. b. t.* quia (ut jam supra dictum) actio famosa, & extraordinaria non datur, nisi dubitetur, an alia detur, aut si detur, æquè famosa sit, quam admittit, *l. 14. §. 13. ff. quod metus caus. l. 1. Cod. de dolo mal.* quia hoc casu nihil interest ejus, qui convenitur, quâ actione configat secum actor.

(VII.) Petitur hæc actione intra biennium, ut res cum omni causa restituatur arbitrio judicis, quod nisi fiat, & reus in contumacia, dolosè perseveret, tanti, nam propterea certa quantitas non adjicitur, sequatur condemnatio, quanti actor in litem juraverit, *l. 18. ff. hic. adhibitâ* tamen in hac ut in præcedente judicio, quod metus causa, prius taxatione officio judicis, quo refrenetur juramentum, ne in infinitum juretur, *d. l. 18. ff.* Casus exceptos, in quibus citra arbitrium præcedens rectè condemnatur reus, vid. in *d. l. 18. §. 1. & 4.* Post biennium dabitur actio in factum, quæ perpetuò contra decipientem in solidum, contra heredem verò, quatenus ad eos pervenit, competit, *l. 28. ff. in fin. eod.*

CAPVT IV.

DE

RESTITUTIONE MINORUM.

(I.) Tertia Restitutionis causa est Ætas minorum 25. annis absque ulla distinctione sexûs, *l. 3. §. 5. ff. b. t.* qui anni currunt de  
B
mo-

momento in momentum, *d. l. 3. §. 3.* Conceditur enim hæc restitutio ob fragile & infirmum hujus ætatis judicium, quod Prætor multis deceptionibus obnoxium, multorumque insidiis, cognovit variisque ex causis & fermè in omnibus, in quibus minores læsi sunt, ut infra dicetur, restituit, licet etiam causa sit favorabilis, ut transactio, aut odiosa, ut usucapio &c.

(II.) Ut verò beneficium hoc impetretur, duo probanda sunt, ætas nimirum & læsio; ætas probatur per parentes, *Carpzov. p. 1. C. 16. d. 49. N. 2.* vicinos, obstetrices, atque libros parochiales, quibus ordinariè creditur. Super læsione verò probata, Prætor arbitratur, an restitutionem mereatur, modicum enim non curat Prætor, *l. 24. §. 1. ff. h. t.* neque spectandum hîc, an illa læsio dolo adversarii fuerit facta, *l. 5. Cod. de in integr. restitut. min.* sed an quid de bonis minorum deminutum sit, & ne litibus & sumptibus vexentur, *l. 6. ff. h. t.* neve lucrum amittant, *l. 7. §. 6. ff. eod.*

(III.) Non solum minoribus, verum etiam successoribus eorum, licet majores fuerint, hoc beneficium ex persona minoris, cui succedunt, est tributum, *l. 18. §. 5. ff. eod. l. 6. Cod. de in integr. restitut. min.* nec filii in potestate patris constituti, ab hoc beneficio arcentur; modò tamen ad patrem illud non directò porrigatur, *l. 3. §. 4. h. t.*

(IV.) Multis ex causis restituitur minor, veluti adversus venditionem, si vendendo fuerit læsus; & adversus emptionem, si emendo; item adversus solutionem sibi factam, nisi ex decreto Prætoris solutum sit; nam hoc plenissimam securitatem præstat, *l. 25. Cod. de administr. tutor. §. l. 7. §. 2. ff. de min:* imò etiam quam alteri solvit, *arg. l. penult. de jur: §. fac: ign:* adversus donationem, si facta sit immodica, *arg. l. 1. Cod. h. t.* item adversus dotem & ultra patrimonii vires, à muliere minore sit constituta, aut si pactioe dotis ejus conditio facta deterior, taleve pactum inierit, quod major non fecisset, *l. 4. 8. in fin. §. l. 9. §. 1. ff. eod.* quod & heredibus defunctæ conceditur, *l. un. Cod. si advers. dot.* item adversus transactionem, ita tamen, ut uterque prioribus actionibus utatur, *tot. tit. Cod. si adversus transact.* item adversus usucapionem, *l. un. Cod. si adversus usucap.* non etiam longissimè temporis, *vid. l. fin. in quibus restitut. non est necessar. l. 3. Cod. de prescript. 30. annor.* item adversus creditorem, quocum mutuum con-

tra-

traxit, nisi hic probaverit, pecuniam mutuò datam in rem minoris esse  
 versam; sic enim cessante causâ restitutionis, scil. læsio, cessabit effe-  
 ctus, *l. 1. § 2. Cod. si adversus credit: item adversus fiscum, nam &*  
*hic admittit restitutionem minorum, l. 1. § 2. Cod. si advers. fisc. licet*  
*ordinariè obstat iis quadragenalis cursus, quorum res à fisco veneunt,*  
*si tamen hæc venditio facta fuerit ob debitum fiscale, bonâ fide, abs-*  
*que fraude, adhibitis requisitis solennitatibus, restitutio est deneganda,*  
*l. fin. Cod. si advers. fisc. item adversus rem judicatam, licet tempore*  
*recitatæ sententiæ curator fuerit præsens, & lis, ut decet, justâ defen-*  
*sione agitata, l. penult. Cod. si advers. rem jud: Si verò sententia ce-*  
*ciderit in tempus, quò major factus est, & id dolo adversarii non sit*  
*factum, ut dicitur in l. 3. §. 1. ff. de minor: 25. annis. denegabitur, l. 1.*  
*Cod. si advers. rem jud: item adversus venditionem pignorum, si enor-*  
*me damnum inde nascatur minori, l. 1. Cod. si advers: vendit: pig: sic*  
*quoque adversus aditam hereditatem, quæ ab initio opulenta & locu-*  
*ples visa fuit, beneficium restitutionis in integrum minori post aditio-*  
*nem immixtionemve salvum est, l. 1. Cod. si min: ab hered: se abstine:*  
*ad quod tamen creditores citari est necesse, ne ita neglecti lædantur,*  
*auth. si omnes d. t. Cod. Quæstio hîc oritur, an intereà, donec resti-*  
*tutio non sit petita, interim alienata à minore, rata sint habenda? Quod*  
*quidam affirmant, quidam negant; ego cum his, qui affirmativam*  
*tenent, sentio ob l. 22. ff. de min: l. quoties 44. ff. de acquirend: hered:*  
 (V.) Sic è contrario adversus omissam hæreditatem locupletem  
 & lucrosam, à qua se abstinuit minor, ei restitutio competit, *tot. tit.*  
*Cod. si ut omissa heredit. dummodò sit res adhuc integra, vid. l. fin.*  
*Cod. de repud. hered. § l. 24. §. 2. ff. de min. nam & contra lucrum*  
*omissum, restitutionem minor meretur juxta l. 7. §. 6. ff. de min. cum*  
*hoc casu non habeant, de quo conquerantur, legatarii, aut creditores,*  
*quorum potius interest, habere aliquem, quem convenire possint, nec*  
*adeò damnum affertur substituto, aut proximis agnatis, ad quos de-*  
*mum à die repudiationis cœperit pertinere hæreditas, & sic jus quasi-*  
*tum stabile in ea habeant, cum per fragile ætatis judicium hæres omi-*  
*serit hæreditatem, vel restitui sibi haud noluerit; Sin iste jure suo uta-*  
*tur, id impedire, nec possunt, nec debent, l. 1. §. ult. ff. de success. edict.*  
 Sed quid juris, si contra omissam hæreditatem restitutus denuò petat.



se restitui contra aditionem? Videtur per §. ult. l. fin. Cod. de bonis que liber. & tot. tit. Cod. si sapius restitut. in integr. postul. hoc denegandum. Sed contrarium verius, & ob ætatem favorabilius est, ne tali modo afficeretur damno minor, l. 7. §. 9. ff. de min.

(VI.) Sed si fidejussor aut mandator intervenerit pro minore, quid sit juris, videamus; minor enim restituitur adversus utrumque, si quâ obligatione obstrictus sit, l. 13. ff. de min. an quoque succurrendum fidejussori, tanquam accessoriè obligato? Ita quidem videtur juxta regulam: Accessorium sequitur suum principale; Sed fallacia hîc committitur, quapropter potius creditori, quàm fidejussori est succurrendum, si fidejussor adfirmator & svasor fuerit, ut creditor cum minore contraheret, qui fortassis aliàs non contraxisset, d. l. 13. ff. de min. nisi creditoris dolo minor fuerit captus, aut fidejussoribus sine damno creditoris subvenire possit, l. 89. ff. de acquirend. hered. aut fidejussor ignoraverit debitorem esse, arg. l. 4. 8. ff. de fidejuss. Quare autem hoc beneficium magis fidejussoribus, quàm hæredibus minoris denegetur, ratio hæc assignari potest, quod fidejussores voluntariè, & ex facto proprio in eam obligationem consentiant, hæredes autem in eam ex facto alieno incidant.

(VII.) Sciendum autem non semper hoc beneficium minori esse concedendum, sed plurimos dari casus, in quibus est excludendus: (1.) Si læsionem probare non possit, vel quod sit circumscriptus, l. 9. §. 4. ff. de jurejur. l. 5. Cod. de restitut. in integr. (2.) Si minor rem suam sobriè administrat, ut eum per ætatem lapsam verisimile non sit, vid. l. 11. §. 4. ff. h. t. & l. 1. Cod. qui & adversus quos restit. non poss. (3.) Aut se per mendacium dolo se majorem dixerit minor: (4.) Si ex mandato aliena negotia administraverit, l. 23. ff. h. tit. (5.) Si sapius restitutionem postulaverit & repulsam passus sit, tot. tit. Cod. si sap. restitut. in integr. postulet. (6.) Si major factus, quid minor gessit, comprobaverit, l. 3. §. 1. ff. de min. (7.) Si veniam ætatis à principe impetraverit, tunc nullo casu sunt admittendi, ne hi, qui cum iis contrahunt, principali autoritate circumscripti esse videantur, l. 1. & tot. tit. Cod. de his qui ven. etat. impet. (8.) Si contractum jurejurando confirmaverit, l. 1. & authent. sacramenta puberum Cod. si advers. vendit. quod de contractu valido, non etiam invalido dictum volo arg. l. 3. Cod.

*Cod. de his qui ven. atat. impet.* (9.) Si contra jus naturæ graviter deliquerint, *tot. tit. Cod. si advers. delict. & l. 9. §. 3. ff. de min. infirmitas enim animi, malorum mores non excusat, l. 1. Cod. h. t.* (10.) Si remiserit executionem poenarum, *l. 37. ff. t. b. nam ea res potius ad vindictam, quam ad rem familiarem pertinet, l. 6. ff. de sepulch. violat.* (11.) In casu revocandæ libertatis, nam hæc favorabilior est, quam restitutio minoris, *l. 1. Cod. si advers. libertat.*

(VIII.) Dantur quoque casus, in quibus restitutio minimè est necessaria, veluti si minor ipso jure sit munitus, & contractus sit invalidus, tunc enim restitui non potest, quia restitutio est ad instar privationis, privatio autem præsupponit habitum, qui tali casu adesse non potest, *l. 16. ff. h. t. & datur remedium æquè commodum ordinarium, l. 12. ff. de acquirend. vel omitt. hered. aut si patris mortem legitimo modo non sit ultus, l. 1. Cod. in quib. caus. restit. non est necess. aut post quinquennium velit agere querela inofficiosi testamenti filius, nam huic minori non currit quinquennium, l. 2. Cod. d. tit. aut contra exceptionem non numeratæ pecuniæ, aut aliam temporalis præscriptionis, l. fin. Cod. d. tit. aut minor non interpellaverit debitorem & sic eum non constituerit in mora, *vid. l. 3. Cod. dict. titul. aut habens curatorem, quid alienaverit, l. 3. Cod. de restitut. in integr. aut si ipse Curator prædia absque decreto alienaverit, l. 2. l. 4. Cod. de prædiis min. non alienand. absque decret.* His casibus exceptis ita demùm fit restitutio, ut minor nec in damno, nec in lucro moretur, & omnia, quæ ad ipsum pervenerunt, ex quibus factus locupletior, aut si quid dolo ejus factum sit, præstare debeat, *l. un. Cod. de reputat. quæ fiunt in judic. in integr. restitut. habitâ quoque fructuum & usurarum ratione, vid. l. 27. §. 1. vers. ex quo scilicet ff. de min.**

CAPVT V.

DE

RESTITUTIONIBUS ob CAPITIS DEMINATIONEM.

(I.) **Q**uartæ Restitutionis species est Capitis Deminutio, quæ describitur *l. 1. ff. de capit. minut.* quod sit status mutatio, cum quis per adoptionem aut emancipationem statum mutat. Sciendum est

B 3

con-



contra adoptivos aut emancipatos olim periisse omnes actiones, quia, qui emancipabantur, aut per adoptionem in alienam familiam transferebant, solenni quâdam ac imaginariâ venditione in servitutem quasi redactos fuisse, *l. 3. §. 1. ff. h. tit.* quibus nulla obligatio civilis adherere poterat, *arg: l. 2. §. 1. & l. 8. ff. eod.* quod Prætori iniquum visum fuit, creditorem ita actione suâ destitui, qui tamen cum hujusmodi contraxit bonâ fide, hinc Prætor ait: *Qui, quæve, posteaquam quidcum, illo illâve actum contractumve sit, Capite deminutus deminutave esse dicetur, in eum eamve ac si id factum non esset, iudicium dabo.* Ubi notanter verba sic expressa leguntur, *posteaquam contractum*, nam si post capitis deminutionem, quis contraxit, sibi imputare debet, quod contraxerit. Ad hoc enim edictum non pertinet, *d. l. 2. §. 2. h. t.* & in civilibus tantum obtinet, non etiam ad criminalia extendendum: Cum, nemo delictorum poenis per capitis deminutionem exuatur, *l. 2. §. 3. ff. hoc tit.* Sed talis actio semper caput sequitur, *l. 7. §. 1. ff. hoc tit.* neque de maxima capitis deminutione, quâ libertas, neque de media, quâ civitas amittitur, est intelligendum, sed de minima, cum quis per adoptionem familiam amittit, aut per emancipationem sui juris efficitur, *d. l. 2. princ. ff. eod.* sed quia emancipatio illis veterum ambagibus, quibus emancipati in servilem conditionem prius redigebantur, *d. l. 3. §. 1. ff. eod.* penitus sublatis, *l. ult. Cod. de emancipat.* celebratur, hodiè non amplius pro hujusmodi capitis deminutio accipitur, ut hujus edicti usus amplius videretur necessarius, *l. 39. ff. de O. & A. Franz, Exerc. Jurid. 3. q. 3.*

CAPVT VI.

DE

CAUSA RESTITUTIONIS GENERALI  
& COMMUNI,

(1.) Nunc de quinta Restitutionis specie tractandum, nempe Absentia reipublicæ causâ, aut ex altera probabili causâ, ob quam Prætor majores, sicut minores, restituit in integrum, quando sic ait: *Si cujus quid de bonis, cum is metu, aut sine dolo malo Reipublicæ causâ abisset, inve vinculis, servitute, hostiumve potestate esset, sive cujus actionis*

actionis eorum, cui dies exisse dicetur, item si quis quid usu suum fecisset, aut quod non utendo amisit consecutus, actione ve, quâ solutus ob id, quod dies ejus exierit, cum absens non defenderetur, in ve vinculis esset, secum ve agendi potestatem non faceret, aut cum quis eum invitum in jus revocare, non liceret, neque defenderetur, cum ve magistratus de ea re appellatus esset, sive cui pro magistratu, sine dolo ipsius actio exempta esse dicetur, earum rerum actionem intra annum, quò primùm de ea re experiundi potestas erit, item si qua alia mihi justa causa esse videbitur, in integrum restituam, quod ejus per leges, plebiscita, Senatus consulta, edicta, decreta Principum licebit. Inter causas hujus Restitutionis refertur primò à Pratore absentia, quæ vel probabilis & necessaria simul est, suscipitur Reipublicæ, non proprii commodi captandi gratiâ, l. 36. ff. h. t. ut miles restitutione militiæ, ob quam restitutionem vel maximè meretur, sive sit in castris & expeditione, aut captus ab hostibus, non etiam, si domi degat, tot. tit. Cod. de restitut. milit. quod beneficium quoque uxoribus est tributum, si maritos suos ad castra comitentur, l. 1. & 2. Cod. de uxor. milit. vel probabilis tantùm, qualis est, si quis causâ studiorum absit, l. 28. princ. ff. h. t. necessaria verò tantùm, e. g. si quis sit relegatus, huc non pertinet, l. 26. §. 6. ff. h. t. neque etiam probabilis indistinctè restitutionem indulget, ut ignorantia contra præscriptionem impletam, l. un. Cod. de usucap. & transform. l. ult. in fin. Cod. de præscript. long. temp.

(II.) Præsentibus quoque hoc beneficium Restitutionis Prator concessit, quibus interea contra absentes non fuit agendi facultas, ne ex illorum absentia damnum contrahant, l. 26. in fin. h. t.

(III.) Ut autem restitutio hæc impetretur, oportet absentem ultra tempus præscriptum non abesse, quâ de re legas elegantem text. in l. 38. §. 1. ff. eod. intra tempus præfixum, scilicet annum utilem, eam petere, l. 3. Cod. de restitut. mil.

(IV.) Quæritur hîc, an absens teneatur constituere procuratorem, & si constituerit, an adhuc restitutionis beneficio gaudeat? Respondetur, quod non habeat necesse constituere procuratorem, juxta l. 26. §. fin. ff. eod. Sed si constituerit, ipsi aditus ad hoc beneficium est interclusus, nam actione mandati ipsi consultum est adversus pro-

cy-

(16.)

curatorem, l. 39. ff. h. t. nisi hæc sit inanis, tunc etenim ex clausula  
generali est restituendus, d. l. 26. §. fin.

CAPVT VII.

DE

RESTITUTIONIBUS ob ALIENATIONEM JUDI-  
CII MUTANDI CAUSA FACTAM.

(I.) **U**ltima Restitutionis species est Alienatio iudicii mutandi causâ  
facta, quâ succurritur illi, qui nullo suo facto, sed dolo adver-  
sarii, in litium molestias & difficultates positus est, vid. l. 1. ff. h. t. sive  
facta sit alienatio in potentio rem, cui par esse adversarius non potest,  
aut in hominem alterius provinciæ, cuius forum sequi actori molestum  
est, l. 1. §. 1. & l. 3. ff. h. t. aut servus, qui petebatur, manumissus sit,  
d. l. 3. §. 1. ff. h. t. aut alium opposuerit quemcunque, qui adversarium  
vexaturus est, l. 2. ff. eod.

(II.) Non verò ex omni alienatione huic edicto locus est, sed tan-  
tùm ex voluntaria, quæ iudicii mutandi causâ, sive titulo lucrativo,  
sive oneroso, parùm refert, si probet in fraudem & animo doloso fa-  
ctam esse, l. 1. ff. eod. Hinc igitur alia est necessaria, quæ bonâ fide  
absque dolo contingit, ut ratione adversa valetudinis, aut decrepitæ  
ætatis, aut ob aliam quampiam necessariam causam, l. 4. §. 1. & 3. ff.  
eod.

(III.) Deinde requiritur, ut intersit actoris, rem esse in alium  
translatam, d. l. 4. §. 5. nam ubi nullum versatur interesse, nulla sub-  
est læsio, & consequenter non opus est restitutione, hinc si reus probet,  
actoris nihil interesse, aut eum nullum jus habere in re, aut rem se usu  
cœpisse, meritò hoc edicto liberabitur, d. §. 5. l. 4.

(IV.) Actio hujus edicti est rei persecutoria, non pœnalis, ut qui-  
dam volunt, quapropter hæredibus & in hæredes datur, ita tamen, ut  
intra annum contra hæredes instituatur, d. l. 4. §. fin. l. 5. 6. eod.










ULB Halle

3

003 498 727



Sb.

1D17





40.)  
xpress  
spon  
e plu  
Fore  
Dn. B  
is cir  
s mo  
k pr  
Can  
kissen  
as, ve  
ui so  
u tal  
iraf  
eret,  
re ait  
est u  
reos.  
3. A  
onit  
oud.  
erale  
ni ju  
apia  
mal  
nt. a  
shyl  
s do  
prol  
inci  
cipit  
enic  
bit  
n or  
om  
itæ  
nde  
s es,  
o,  
.2.

Inches  
1  
2  
3  
4  
5  
6  
7  
8  
9  
10  
11  
12  
13  
14  
15  
16  
17  
18  
19  
20

Centimetres  
1  
2  
3  
4  
5  
6  
7  
8  
9  
10  
11  
12  
13  
14  
15  
16  
17  
18  
19  
20

B.I.G.

Farbkarte #13



DISSERTATIO JURIDICA  
DE  
**IN INTEGRUM  
RESTITUTIONIBUS,**

1686,4

7

Quam  
Sub  
DIVINO AUXILIO  
AUTHORITATE & CONSENSU  
MAGNIFICI ICTORUM ORDINIS  
IN  
INCLYTA UNIVERSITATE HIERANA  
PRÆSIDE  
DN. JOHANN. HENR. Meier/  
J. U. D. ELECTORAL. JUDICII & FACULT. JURID.  
ASSESS. PROFESS. PUBL. & PRÆFECT. ELECT.  
ERFURT. CONSULENT.

IN  
AUDITORIO COELICO  
*Eruditorum ventilationi  
submitte.*  
JOANNES GODOFRIDUS  
Wassenbruch /  
AUT. & RESP.

Die 18. (28.) Augusti Anno M. DC. LXXXVI.

ERFORDIÆ,  
TYPIS JOHANN-HENRICI GROSCHL

25.

